



4567

1893

o-XVII, 291.

11

ORATIO  
DE MODERANDIS ANI-  
MI AFFECTIBVS  
SCRIPTA ET RECITATA ROSTO.  
CHII, A M. PETRO SICKIO  
RENSBURGENSE.

*Additum est Carmen de AN-*  
*GELIS, eodem Authore.*

EX OFFICINA LV-  
DOVICI DITHI.

---

Anno M. D. LVI.  
Generosa ac praeclara in dolis  
Adolescenti Hinrico Moltan  
amico suo plurimum co-  
lendo. P. s. dat.

F. 12



INTROIT  
IN MODERANDIS ANI  
NA AFFECTIVAS  
CERTA ET RECITATA ROSTO  
CUM A VI PETRO RICKIO  
LINSBERGENE

„Videtur quod Canticum de Viris  
Gloriosis cogitetur Simpliciter“

EX OFFICINA  
DONICI DITII

ANNO M. D. LVI

ORNATISSIMO VIRO PRV-  
DENTIA ET VIRTUTE PRAESTANTI,  
D. MATTHIAE CNUZIO, SE-  
NATORI KILENSI.  
PETRVS SICKIVS RENSBVR-  
GENSIS S. D.



*Ecepta est in Ecclesia  
cōsuetudo inchoandi an-  
num à die Natali Filij  
Dei. Congruit enim  
cundem diem, qui æternæ salutis nostræ  
initium fuit, Anni quoque exordium  
ducere. Cum igitur hoc ipso tempore  
quo yvw̄ aux Filij Dei celebrantur, ad te  
scribam, Filium Dei nobis natum & da-  
tum, toto pectore or o, ut Ecclesiæ suæ,  
& politijs, quæ hospitium præbent Ec-  
clesiæ, & TIBI, præcipuo Ecclesiæ  
& piorum patrono, Annum fœlicem,*

*A 2 tran-*

tranquillum & salutarem tribuat.

Quanquam autem nulla inter nos  
fuit haclenius consuetudo, tamen & con-  
iunctione Patriæ, & admiratione uir-  
tutis tuæ ac humanitatis, quæ apud nos  
crebris & honorificis multorum sermo-  
nibus celebratur, adductus, uehementer  
cupio tecum sanctissimo Amiciciæ uin-  
culo coniungi.

Itaque ut aditum mihi patefacerem  
ad tuam humanitatem ac fidem paternā,  
qua Ecclesiam, & ingenia, quæ pia eru-  
ditione exculta, labores studiorum ad  
Ecclesiæ salutem referunt, complecteris  
hanc Orationem de Moderandis Ani-  
mi Affectibus à me scriptam, et in Re-  
nunciatione Gradus Magisterij recita-  
tam, TIBI dedicandam existimauit.

Etsi

*Etsi autem te Virum sapientem  
et omnia consilia, et actiones grauiissimo  
consilio moderantem, scio hisce præcep-  
tis non n indigere: tamen, ut testimonium  
aliquid publicum extaret meæ erga te  
benevolentia, & gratitudinis, quæ bene  
merentibus de Ecclesia, & bonis literis  
debetur, TIBI, hoc noui Anni initio,  
qualecunq; munus, strenæ loco iudicaui  
mittendū esse. Quod cū ab animo tui ad-  
miratione et amore flagrati profectū sit:  
Spero tibi non ingratum fore. καὶ ἦν γὰρ  
θυμος αἰγιλος, ut in ueteri uersu dicitur.*

*Bene et fœliciter uale, Et Ecclesiam  
Dei ac Scholas, ut cepisti, foue.*

*Rostochij, Die Natali Filij*

*Dei, ordientis Annum*

*M. D. LVI.*

*A 3 Oratio*

# ORATIO DE MODERANDIS ANIMI AFFECTIBVS, SCRIP- TA A M. PETRO SICKIO RENSBURGENSE.



T de frenanda ac cohī-  
benda ira, affectu omni-  
um uehementissimo, sa-  
pienter ac grauiter Poë-  
ta Horatius scriptum re-  
liquit,

*Ira furor breuis est, animum rege, qui nisi paret,  
Imperat, hunc frenis, hunc tu compesce catenis.*

Ita sapientes, omnes æstuantes Affectu-  
um motus aureo freno Palladis, Ratio-  
ne uidelicet cohibendos, sedandosq; esse  
duxerunt, ijsq; non ut ducibus, sed ut mi-  
litibus utendum existimarunt. Cum  
enim magna sit totius naturæ inordina-  
tio, ingens omnium hominum etiam  
sanctissimorū infirmitas, multiplex de-  
nīq; omnium Affectuum ATAEIA

ac

ac confusio , fit, ut animus humanus  
uarijs iactatus affectibus, ijs quasi procel-  
lis quibusdam , non secus ac nauis rapi-  
dis tempestatibus in diuersas partes tra-  
hatur.

Etsi autem uariæ disputationes, de  
Affectionum sine lege ac ordine ruentium  
scaturigine ac fonte, eorundēq; 'modera-  
tione apud Sapientes Ethnicos agitatæ  
sunt : non tamen in tanta disputationū  
mole , tantaque naturæ imbecillitate ue-  
ros fontes , certamq; originem indagare  
potuerunt, tantum abest, salutaria reme-  
dia ipsos inuenisse , quibus æstuantes  
animorum motus compescerentur, ac in  
officio retinerentur. Solius enim Ec-  
clesiæ hæc sapientia propria est, quæ ut  
turbulentorum motuum cordis humani  
fontem & originem, Peccatum hæredita-  
rium, perpetua quadam successione ab  
Adamo in totam posteritatem propaga-  
tum constituit: ita etiam efficacibus pre-  
sidijs animum munit, quibus instructus,  
non solum vagabundos cordis motus,  
cum quibus nihil recte, nihil considerat,

A 4 n.

nihil constanter fieri potest, contrahat;  
Sed etiam ita moderetur, ut rationi obediāt,  
eamq; nequē præcurrant, neque  
propter pigritiam ac ignauiam deserant,  
sed mediocritas quædam ac singularis  
moderatio omnium Actionum effecta  
uideatur.

Hoc admirabile et diuinum op<sup>9</sup> non  
cuiusvis est, Sed solius Filij Dei, loquen-  
tis in nobis per Spiritum Sanctum, & in  
nostra corda hunc omnium Affectuum  
efficacem moderatorem, uelut lumen in-  
fundentis, ut uel ordinatos cordium mo-  
tus cieat, uel extra sedes suas euagatos re-  
uocet, ac in priorem stationem reducat.

Hæc licet ita sese habeant, & passim  
in sacris literis exempla obuiā sint, quæ  
id comprobent: prodest tamen ijs, qui in  
studijs Philosophiæ uersantur, Physicas  
affectuum causas perpendere, quarum  
adspetio multiplices utilitates confide-  
ranti adfert. Cum enim nemini du-  
biū sit, quin animi Affectus, laetitia,  
tristitia, subitus animi timor, plurimum  
in alterando corporis statu momenti  
habeant

habent, calore nativo tum diffunden-  
do, tum ad cor, tanquam ad arcem reuo-  
cando & contrahendo, manifestum est,  
summam ex huius rei consideratione  
ad nos utilitatem dimanare. Accedit  
ad haec, quod nemo dextrè Affectuum &  
uirtutum discrimen constituere potest, ni-  
si utriusq; causas et organa probè cognos-  
rit. Taceo quod plurimi diuturni ac  
difficiles Morbi, interdum etiam repen-  
tina mors ex Affectibus oriuntur.

Quamobrem cui haec omnia per-  
spectè ac exploratè cognita fuerint, facili-  
us poterit tum Affectus suos ταχίσταγω-  
γεν, tum etiam cauere ne in ea mala, quæ  
uagabundos ac errantes Affectuum im-  
petus comitantur, incurrat.

Atque ea etiā fuit, hac in re consilij mei  
ratio cur de Animorum Affectibus dice-  
cere instituerim, quod huius doctrine ad-  
spectio, plurima diuinitatis uestigia ob-  
oculos adspicienda proponat. Etsi  
enim uniuersa corporis humani fabrica-  
tio mira arte ac consilio facta, iusta om-  
nium partium συμμετέχει, singulorum

A 5 mem-

membrorum harmonia ac consensus,  
euidentis est ac illustre testimonium Ar-  
chitecti: Maximé tamen Affectuum quo-  
rum sedes ac domicilium est cor fons uitę  
& omnium Spirituum diffundentium se  
in singula membra, & eis uim sentien-  
di & mouendi impertientium considera-  
tio, & mira uoluntatis ac cordis copula-  
tio, ipsum Deum Architectatorem natu-  
ræ humanæ nobis ostendit, & quasi  
manibus contrectandum depingit.

Ad propositæ igitur materiæ am-  
plitudinem licet non ignorem, me parem  
eruditionem afferre non posse, meoque  
me pedem etiens agnoscam in earum uiri-  
um imbecillitatem, quas longe inferio-  
res duco, quam ut in tanta doctissimorū  
hominum corona, tantaq; ingenuorum  
Adolefcentum frequentia quidq; laude  
dignum afferre possim: tamen cum uester  
candor ac benevolentia erga mediocriter  
de rebus recte & propriè dicentes mihi  
probè cognita sit, nolo ingenij mei tenui-  
tatem ambitiosius excusare, ne dum nisi  
mis sollicitè me uobis purgare laborem,  
magis

magis ingenij ostentationem affectasse,  
quām à me remouisse uidear. Idcirco  
sinelongiori prefatione rem ipsam ordie-  
mur. Ac initio de fonte & origine Af-  
fectuum, Deinde quantum commodi,  
ordinati, quantum incommodi, errantes  
Affectuum motus corpori conferant,  
Postremo de eorum moderatione, quoad  
eijs fieri potest, breuissimè dicam.

Intra has metas dum nostra uersa-  
sabitur oratio, peto amanter, ut me beni-  
gne differentem audiatis. Quod si mihi à  
uobis tribui cōcēdiq; sentiā, efficiā pro-  
fectò, ut et rerum utilium breui saltem in-  
dicatione, & historiarū qarundam com-  
memoratione temporis tedium leniam,  
& meæ, de uestra beneuolentia, erga hæc  
exercitia, expectationi cumulate satisfa-  
ctum arbitrabor.

Mira res est, ac penē imperuestigabi-  
lis sapientiæ, cum totius fabricationis  
corporis humani aspectio, tum præcipue  
cordis structura ac ædificiū, forma, situs  
ac motus, cuius rei magnitudinem nulla  
eloquentia humana satis peruestigare  
potest

potest. Ita enim natura condita est, non ut sit statuæ simili<sup>s</sup>, cui uis sentiendi ac mouendi negata est, Sed impressit ei Deus Notitias, quibus cor incitatū cieat tā uarios motus, indidit & cerebro et spiritib<sup>u</sup>m agitādi ac mouendi cor, à quib<sup>u</sup> cor, quasi iustum et pulsatum cietur, et uel gratas obiectorum species appetit, uel insuaves fugit. Ut enim calcē eam naturam referre nonnulli autumant, ut ab aqua, tanquam ab elemento sibi contrario accendatur: ita contrarijs cor mouetur, & que ipsi exitio futura sunt, extremē auersatur.

Talis est enim combinatio uirium naturæ inter se, ut motus cordis cognitioni respondeant, & cognitis rebus uel laetitia afficiatur, & in obiecto grato suauiter acquiescat, uel destructionem ex mēstitia ortam, experiatur. Cum igitur cor, ut uitæ initium ac fons: ita etiam Affectuum sedes ac domicilium sit, perspicuum est plurimum referre, quale cordis Temperamentum sit. Ipsa enim cordis substantia Affectuum fons & origo

go est. Quo igitur temperamentum cordis calidius est & siccus, eò facilius iracundiæ flamas concipit, conceptas tènaciter retinet, àdeo etiam ut furores inde existant. Econtrà quorum temperamentum cordis est humidius ac frigidius, ut celerius ad alios Affectus concitantur: ita etiam eorum minus sunt tenaces.

Cognita itaque Affectuum sede, facile hinc liquet, Animi Affectus (ut Physicè de ipsis loquiamur) nihil aliud esse, quam uehementiores cordis & Spirituum motus in re quapiam uel fugienda uel persequenda. Vis enim cordis, quæ ~~υγροτης~~ id est, Animosa appellatur, Phantasias seu opiniones, impressas uidelicet menti rerum imagines, seu uera seu falsa specie obiectas, aut fugit, aut sequitur.

Primum mouetur ab obiectis mens, Deinde moti Spiritus feriunt cor, ipsu[m] ad Amorem, Iram, odium, misericordiam, Inuidiam, lætitiam, mærorem, spem, metumque impellunt. Cum obiectæ rerū spe-

Species tristes sūt ac terribiles, fugit ea mēs  
ac simul Spīritus exteriorem stationem  
quasi deserentes, ad intima cordis sese re-  
cipiunt, atque ad principium suum cor,  
tanquam ad Asylum confugiunt. Ut  
enim natura ad sui conseruationem con-  
dita externam uim à corpore arcet, quan-  
tūq; potest refugit: ita Spīritibus tristes  
obiectorū species metum incutiunt, quo  
correpti ad cordis sīnum, tanquam ad fir-  
missimū propugnaculum, opem ac præ-  
sidium petituri, demigrant.

Rursus cum ea, quæ obīciuntur  
grata ac iucūda sunt, prosequitur ea mēs,  
ac simul cordis Spīritus, qui natuī calo-  
ris uehiculum sunt, sese exerunt, atque in  
omnes partes diffundunt. Hac itaque  
ratione το ἀνυπόδεις συμμαχήσαι τω λογιστή-  
κω, ut Galenus loquitur, eique non aliter,  
quām uela uentis sese accommodat.

Cum autem moderati sunt animo-  
rum motus, & intra suas metas consistūt,  
ac recta ratione, ut par est reguntur ac gu-  
bernantur, plurimarū honestarum acti-  
ōnum fontes & causa existunt, et ad mul-  
ta

ta præclara facta incitamenta sunt. Tæ  
les sunt Fortitudo, Fiducia, *εὐλογία*. His  
enim ardentibus ac penè diuinis motibus  
uiri Heroici ad excellentem uirtutē com-  
parandam incitati sunt, & immensa qua-  
dam cupiditate iuuandi alios flagrantes,  
res susceperunt asperimas.

Talis motus ac heroicus spiritus de-  
scribitur in Abrahamo fuisse. Gen: 14.  
qui ardenti impetu ad suscipienda pericu-  
la pro liberatione familiæ Loth incitatus,  
& quidem exigua manu 318. uiris ingen-  
tes hostium copias, infracto animo ag-  
gressus fudit ac prostrauit, ac parta uicto-  
ria, & abacta ingenti præda nihil inde ad  
suam utilitatem conuertit, sed pulchritu-  
dine uirtutis delectatus, in suorum saltu-  
te conquieuit.

Similem Heroicum animi motum  
Homerus *Ιλι.* 1. Achilli tribuit, qui Græ-  
cis in memoriam reuocaturus, quantis se  
periculis pro eorum salute ac incolumi-  
tate exposuerit, hac uititur oratione,  
*Αἴνε μην ψυχήν ταξέαβαλλομένος πολέμοις*

22

Ως δ' ορευς αποτησι μεοατοισι προφερονται (αυτη  
Μαστακ, επικη λαβησι, και κωδις δι' αρχαι οι πελε  
Ως και εγω πολλας μεν αυτωνους νυκτασ μενον.  
Η μετα δι' αιματοεντας διεπερησον πολεμικων.

Et apud Liuium Decad: 4. Lib. 3,  
Græci cum in Nemeis a T. Quintio αντονο=  
μικη uniuersæ Græciæ promissa esset, hac  
orattone ingentem animorum magnitu-  
dinem in Romanis celebrant. Esse  
unam in terris gentem, que sua impensa,  
suo labore ac periculo, bella gerat pro li-  
bertate aliorum, detq; operam, ut toto or-  
be terrarum iustum Imperium sit, et ubi=  
qui Ius, fas, lex potentissima sint.

O ingentem ac preclaram Romane  
gentis celebrationem, quæ & magna &  
admirabilis meritò aestimanda est.

Nec dubium est nostra hac tempes-  
state in Reuerendo Viro D: Martino  
Lutherio Heroicum animum ac diuinitus  
inflammatum cupiditate promouendi  
gloriam Dei, et consulendi æternæ homi-  
num saluti extitisse. Tanta enim animi  
magnitudine & constantia in taxando  
papatu, in falsis opinionibus diuulgan-  
dis,

in uera doctrina latē propaganda, uteba-  
tur, ut nihil, quod homini Christiano ob-  
stantem confessionem accidere posset,  
intolerandum putaret.

Neque profectō eiusmodi animi im-  
petus in uulgares aut plebeias naturas,  
Sed in Heroicas, & diuino afflatu incita-  
tas ad res præclarē gerendas, cadit. Quò  
enim naturæ sunt generosiores: eò etiam  
uehementiores et acriores spiritus & im-  
petus in illis elucent, quibus ad uirtutis  
admirationem atq; culturam extimulan-  
tur.

Eiusmodi autem animorum moti-  
ones, à recta ratione tanquam ab optima  
naturæ duce dimanantes, neque morbi  
sūt, neque perturbationes aut ~~ταθηματα~~:  
sed propriæ cordis ~~νεγκιαι~~, reliquas cor-  
poris actiones incitantes et exacuentes.  
Cum uero uehemētius incitantur, et plus  
in mouendo ualet boni maliuè opinio,  
quam recta ratio, tum aduersus mentis  
decretum uariæ existunt animi perturba-  
tiones, quæ si radices egerint, et tanquam  
in medullis insederint, ægritudines seu

B Animi

Animi morbi ex ipsis oriuntur. Cum  
igitur Affectus rationis iudicium precur-  
runt, & ab ipsius norma cui naturali luce  
obstricti sunt, deficiunt, uniuersum cor-  
poris statum immutant. Non secus ac  
si insurgen & uehementior uini appetitio,  
neque adhibita ratio ipsam cohercens in-  
citato Iecoris & Ventriculi ~~τωθυμητικω~~  
tandem in Ebrietatem desinat, quæ ta-  
metsi Rationis perturbatio, est adhuc in  
genere ~~των τωθων~~: tamen si diutius per-  
seueret, nascetur ex ea Ebriositas morbus  
& Affectus permanens.

Ad eundem modum ex malorum  
opinione similes existunt animi motus et  
morbi, saepe etiam repentinus interitus.  
Malo appropinquante fit Timor, eo-  
dem permanente Formido. Si præsens  
malum ualde hominem concutiat, men-  
temque de sua sede dimoueat, fit Terror,  
Interdum etiam exanimatio.

Contra bonorum præsentium uo-  
luptas quedam placida ac constans, Gau-  
dium dicitur Gestiens & profusa, letitia:  
quam saepe etiam excipit Mors. Ut  
enim

enim moderata lætitia naturæ conuenientissima est, etatem floridam conseruat, ingenij vires exacuit: ita etiam si modum excesserit mortem affert.

Talis enim est natura hominis initio condita, ut perpetuò frueretur consuetudine et conuersatione Dei, ex qua perennis lætitia ipsi oboriretur. Imò etiam ipsa uita, lætitia quædam est, Et tristitia, paulatim uitam extinguit. In lætitia tēperata laxantur uilli cordis & gignuntur spiritus copiosiores & lucidiores, qui ex sanguine uirtute cordis natī, & calorē uiuificum in cetera membra deuehentes, uim exercendi actiones ipsis impertiunt. Cum autem nimia ingruit uillorum cordis dilatatio nec intra medium subsistit, facta immoderata spirituum dispersione mors ipsa subsequitur.

Atque hoc mortis genus plerumque ijs accidit, qui natura imbecilles sunt, quorum spiritus pauci & tenues facilē dissipantur et euanescent, cum magna uī extra feruntur. Hoc itaque repentino gaudio multos subito extinctos legimus,

B 2 Nar

Narrat Valerius Maximus lib. 9.  
cap. 12. duarum Mulierum historias,  
quarum altera, nunciata clade, quæ ad la-  
cum Trasimenum inciderat, sospiti Filio  
ad portā facta obuiā, in ipsius complexū  
expirauit: Altera, cum falso mortis filij  
nuncio, mæsta domi sederet, ad primum  
conspectum redeuntis exanimata est.

Sophoclem & Dionysium Siciliæ  
Tyrannum, utrumq; accepto Tragicæ  
uictoriæ nuncio, subito uitam cum morte  
commutasse, Plinius author est lib. 7.  
Cap. 53.

Iuuentius Talua cum in Corsica,  
quam subegerat, sacrificaret, acceptis lite-  
ris, quibus certior fiebat decretas sibi esse  
a senatu supplicationes repentina morte  
interiit. Tanta est uis fugacis gaudij, ut si  
modum excedat, ipsam uitam abrumpat.  
Ut igitur moderata lætitia uitam in cor-  
de alit ac fouet, maximèq; confert his qui  
multis curis & sollicitudinibus disten-  
duntur, & immoderata uitam adimit: ita  
etiam tristitia cor cum ingenti ac acri sen-  
su doloris pungit, & constringit. Ac  
nisi

nisi fiat doloris solutio ac remissio, ipsam  
uitam in corde extinguat necesse est.

Hic cruciatus ex tristitia ortus, singulari Dei consilio, tanquam carcer naturae additus est, ut eam in officio detineat, & metu poenarum praui ac indomiti naturae impetus coherceantur, et ut sit tanquam index & testis iudicij diuini. Talē enim ordinem Deus in natura instituit, ut non secus ac lumen est in oculis, quo fit uisio: ita etiam in mentibus sit lux quedam ipsum Deum cernens, cognoscens & diuinis honoribus prosequens.

Hæc lux sunt Noticie diuinitatis sparsæ in nostras mentes, ut sint radix diuinæ sapientiae ac iustitiae, & normæ omnium actionum & deliberationum. Deinde ut in corde sint uelut executores legis diuinæ. Hinc fit ut in recte factis tranquillitas, gaudium, & cordis dilatatio se quatur, Econtra sceleratis, mens praesertim recte iudicans, & ante & post factum in sceleribus non consentiens, horribiles cruciatus infligit. Qui dolores etsi initio leues sunt: tamen paulatim fiunt acriores

B 3 &

& æternæ mortis initia sunt. Id quod historiæ Saulis & Iudæ, Aiacis & simili- um nobis depingunt, qui uitam sibi ab- rumpi, & potius ex rerum natura tolli in uotis habuere, quam cogitationem scele- rum contra mentis iudicium à se admisso- rum, sustinere.

Quanquam autem huiusmodi in- effabiles animi cruciatus ab ipso Deo in- cutiuntur: tamen cum in corde, tanquam præcipuo corporis humani organo hæc lucta contingat, uult nos considerare De- us huius sui iudicij consilium impressum naturæ, unde in lætitia suauitas, unde in tristitia cruciatus existant.

Sunt enim in corde uilli, qui adstrin- guntur in mœstitia, & fit arefactio natiui humoris, & extinctio ac suffocatio Spiri- tuum, qui proximum uitę alimentum sunt. Cum itaq; Spiritibus iam uia in- terclusa est, quo minus in corpus sese dif- fundant, & illis uim agitandi communi- cent, fit, ut reliqua membra ope Spiritu- um destituta, collabantur.

Nec est cur peregrina exempla, quo- rum

rum ingens multitudo est ex historijs ad-  
ducamus. Domestica enim satis com-  
probant, & quotidiana experientia tes-  
tatur animi tristitiam grauissimis morbis  
initia præbere.

Ne autem in immensum nostra ex-  
crescat oratio, breuiter lamentabiles ac  
tristes duorum insignium virorum casus  
ut gesti et ab hominibus fide dignis com-  
memorati sunt, recensebo: Alterum Teo-  
dorici Veronensis, quem summa cum lau-  
de Gottis præfuisse, & reliquis sapientie,  
potentiae, ac rerum gestarum gloria ante-  
celluisse constat: Alterum Aristobuli Iu-  
dæorum Regis primi, qui metuens ne  
frater Antigonus Regnum ambiret, tri-  
cidat eum. Paulo autem post, ex dolo-  
re imperfecti fratris in tantum incidit mor-  
bum, ut sanguinem ejceret, quem dum  
puer, regius minister efficeret, & impru-  
dens sanguinem Regis, imperfecti Anti-  
goni sanguini misceret, horribilis pauor  
ortus est, qui Aristobulo cruciatum auxit  
& uitam ademit.

Theodoricus Veronensis Gothorum  
Rex

Rex, cum Symmachum, et eius generum  
Boetium, Romanæ urbis consules clarissimos, ob fuitiles quasdam affectatæ liber-  
tatis suspiciones uita priuasset uidete  
quæso quid acciderit. Paucis diebus in-  
teriectis, cum ei cenanti inter reliqua fer-  
cula, magni cuiusdam piscis decoctum  
caput ministri apposuissent, Symmachi  
nuper à se interficti oblatum illi videba-  
tur, præfixis & extantibus inferiore la-  
bro dentibus, & toruè intuentibus oculis  
furibundè sibi & atrocius comminari.  
Hac monstri, ut illi videbatur, nouitate  
percussus Theodoricus, membrisq; præ-  
ter modum tremebundus ac rigens, in  
cubiculum statim citato gradu secessit,  
lecto decubuit, in Symmachum, Boëti-  
umq; patratum à se scelus, conscientiam  
subinde uellicans, lamentabiliter defle-  
bat, unde aucto dolore uita statim per-  
functus est.

Ouerè Tragicum exemplum & ad-  
miratione dignissimum. Quem enim  
uirum, necq; hostium potentia fregerat,  
necq; ulla périculorum magnitudo debi-  
lita-

litauerat, eum subita animi consternatio,  
& dolor consumpsit.

Cum igitur manifestum sit, quantum  
detrimenti immoderata lætitia, ni-  
mia etiam mætitia, corpori afferat, ope-  
ra, studium, diligentiaqz adhibenda est,  
ut Affectus & motus omnes ad medio-  
critatem reducantur. Sapienter enim  
Poëta Comicus censet, Apprime in uita  
utile esse, NE QVID NIMIS. Ut enim  
natura in omnibus appetitionibus &  
motibus mediocritate delectatur. Nimio  
alimento onerata natura calor natuus  
succumbit, mediocri suauiter recreatur:  
ita etiam in Affectibus, qui sunt actionū  
fontes, nimia lætitia destruit naturam,  
moderata conseruat.

Ad hanc igitur mediocritatem reti-  
nendam, recta ratio, optima uiuendi dux  
adhibenda, eaqz tanquam Domina ac  
Regina omnium affectuum constituenda  
ac ordinanda est. Cum enim huius  
normam, tanquam Ariadnes filum in  
actionibus gubernandis, sequimur, faci-  
lē iustitiæ fungemur partibus, constanter

B , Prudentiæ

Prudentiae exequemur officia, & uniuersum corporis statum ad conuenientiam, conseruationemq; naturae deducemus.

At si Ratio, quæ quod optimum faciet, pulchre cernit, neglecta fuerit, nihil potest fieri equabile, Sed Fertur equis auriga, nec audit currus habenas ut Poetæ uerbis utamur.

Eadem enim, Galeno teste, ratio est facultatis Rationatricis ad Appetitum, quæ est sessoris ad equum, uenatoris ad canes. Quemadmodum enim Equus in sessoris, canes in uenatoris sunt potestate: Sic cordis motus à ratione regi ac gubernari oportebat. Verum ut Equus robustus & contumax imbecillem sessorem plerumq; euertit: Sic à ui animosa, ualida & concitata, ratio sæpe uincitur. Quod ne fiat excitanda animaduersio, diligentiaq; est, ne appetitus rationis imperium executiat: Sed ab ipsa uelut Seruus à Dominio, uelut Miles ab Imperatore, uelut Filius à Parente, ut uenustè Cicero in secunda Tusculana, disputat, se regi patiatur. Cum


Cum enim ratio circumspecta, pru-  
dens & perspicax, optimam uiuendi rati-  
onem & naturæ conuenientissimam de-  
terminet & explanet, fit, ut ad huius nor-  
mam directe actiones, singularem uitæ et  
mortui æquabilitatem efficiant. Appre-  
titu igitur se ad rationis dictamen accom-  
modante, nec ab ipsius imperio, cui lege  
naturæ obedientiam debet, discedente,  
mirā, ut Cicero in officijs differit, eluce-  
bit omnium actionū constantia, omnisc̄  
moderatio.

Hoc enim consilio Deus rationi  
eminentiorem sedem, cerebrum uidelicet  
attribuit, summac̄ locum ei assignauit  
in arce: & uoluntatem accor uoluit ei esse  
coniuncta, ne simulatio, sed constans  
præcipuarum partium hominis harmo-  
nia & concentus existeret. Cum au-  
tem huius consensus ingens confusio, &  
tristis totius naturæ imbecillitas secuta  
sit, adeò ut motus cordis contrarius legi,  
rapiat secum iudicium, non secus ac equius  
indomitus, sessorem: ardentib⁹ uotis sol-  
licitand⁹ est eternus Deus, ut filij sui Do-  
min⁹

nostri IESV CHRISTI intercessione  
adductus Spiritum Sanctum efficacem  
omnium Affectuum moderatorem no-  
bis impertiat. Is enim solus animorum  
motus cohibet ac sedat, sedatos in officio  
continet, ita ut apposite Poëte uersus huc  
quadrent.

Hic dicto cordis citius tumida æquora placat,  
Collectasq; fugat nubes, Solemq; reducit.  
Illæ regit dictis animos, et pectora mulcat.

## DIXI.



# CARMEN

EYXAPISTIKON de cu-  
stodia ANGELORVM.

O MIHI si faciles essent in carmina uires,  
Si mihi Vergiliuena secunda foret:  
Versibus & nostris talis si splendor inesset.  
Qualis Nasonis fluxit ab ore nitor:  
Non ego mutandas conarer dicere formas,  
Non curae nobis fabula ficta foret.  
Nec fera Romanæ memorarem prælia gentis,  
Quantumuis magnæ laudis id esse solet.  
Sed meus Angelicos celebraret, sermo Ministros  
Custodes nobis quos dedit ipse Deus.  
Et quamuis nostris id opus sit uiribus impar,  
Cum sint ingenij flumina rara mei.  
Attamen incipiam puerili ludere uersu,  
Imparibus nec tam paucula uerba modis,  
Ergo Deus nostris sis portus & aura camœnis,  
Da fœlix noster possit ut esse labor.  
Nam mihi cum uires scribendi carmina desint,  
Auxiliatrices fertu repente manus.  
Matcriæ grauitas suscep*t*e postulat illud,  
Quia nostræ uires, eruperante, cadunt.

Quod

**Quod superest, placida presentes uoce rogamus,**  
Acceptus noster hic quibus actus erit.  
**Ne nobis faciles aures præbere recusent,**  
Quænæ dabit, placidæ, nostra Thalia, ferant.  
**Nec dubito ueniam quin sine mihi ritè daturi,**  
Si quis in hoc nostro carmine neuus erit,  
**Hæc igitur nobis cum sit spes firma relictæ,**  
In iunctum post hæc aggrediemur opus.  
**Auspice fœlici facturi carmina primo,**  
Cœlestis, quid sit, Angelicus uè chorus.  
**Prætereà quali fungatur munere dicam,**  
In se diuinum namq; recepit onus.  
**Nos cinctos duris seruat uarijsq; periclis,**  
Ex quibus elabi uix locus ullus erat.  
**Hic Nauclerus adest, hoc uastum remige pontum**  
Currimus, hoc Nauta salua carina manet.  
**Debita postremo soluemus munera laudum,**  
Et dicent grates pectora nostra Deo.  
**Qui nos Angelicis instruxit ritè ministris,**  
Vis Sathanæ nobis ne quid obesse queat.  
**Dicendi imponam finem quibus ordine dictis,**  
Claudet & ostiolum nostra camœna suum.

**Qui colis Astrigeri sanctissima limina cœli,**  
Qui flectis nutu cuncta creatatuo.

Tota

Tota tuas effert celebres Ecclesia laudes,

Te solum mitem prædicat esse Deum.

Vndiq; conueniunt populi te laudibus ornant,

Te plectris blandis summa per astra uehunt.

Quid referam cuncti tua facta ad sydora tollunt,

Lætitiam cordis uoce probante sonant.

Lætifico tali merito te carmine laudant,

Cum semper præstes cælica dona tuis.

Nos etenim Angelicis munis Pater alme cateruis,

Ne nobis Sathanas damna nocua ferat.

Cum meritis tribuat tantis Ecclesia laudes,

Quis tua non ultrò facta benigna canat.

Rite tuo psalmos igitur cantamus honori,

Extollit nomen credula turba tuum.

Conditor Angelicæ tu diceris esse cohortis,

Qua nos imbellis nocte dieq; regis.

Maxime flammicos fecisti Christe Ministros,

In quibus æterni lucet Imago Dei.

Hi te perpetuis clementem laudibus ornant,

Hi uera florent agnitione Dei.

Hi sunt ueraces tibi uoti debita soluunt,

Hi casta Dominum relligione colunt.

Illorum pectus diuino flagrat amore,

Ardenti peragunt pectore iussa Del.

Non

Non unquam dura peccati mole grauantur,

Nec conuincuntur criminis esse rei.

Iugiter immotis te contemplantur ocellis

Adsistunt solio tempus in omne tuo.

Guttur subtili uocis modulamina flectunt,

In tales soluunt ora diserta sonos.

Est exercitum, sanctus, Deus, arbiter æui

Huius in orbe sonant gloria, laus, & honor.

Sunt quoq; perpetuo pacis communis amantes,

Propugnant urbes, terrea regna tegunt.

Vota Deo faciunt, hunc supplice uoce precantur

Vt se propicium comprobet esse Dcūm,

Defendunt cunctos Christi pia castra sequentes,

Ne Sathanas illis forte nocere queat.

At contra Sathanas odio inflammatus acerb,

In nos inuidiae tela mouere studet.

Dissipat hic pacem, ualidas dat et ignibus urbes,

Hic cingit cunctos obsidione pios.

Inter concordes connectit iurgia Reges,

Talibus insidijs Martia bella mouet.

Omnia conturbat, grassatur ubiq; furenter,

Gaudet se morti mittere posse pios.

Membra salutiferi Christi circumsonat armis,

Arma crepat, socios Martis ad arma uocat.

Niti

Nititur exiguum Christi delere cateruam,  
Prosternit ferro, qua licet arte, pios.  
His studio uigili sublimia retia tendit,  
Figit in hos uarijs illata tela dolis.

Vtq; Leo rugiens, uigili custode remoto,  
Sæuit in hirsutas tempore messis oucs.  
Has lacerando simul pecudumq; absente Magistro,  
Perdit, & ad stigiae limina mittit aquæ.  
Sic nisi flaminei nos seruent rite Ministri,  
Sanguineæ prorsus nos dabit ille neci.  
Addo quod (horrendum dictu) sit scismatis author,  
Sub specie ueri dogmati falsa serit.  
Perfidus hic mendax, fallax homicida uocatur,  
Officium cum re nomen utrumq; tenet.  
Excitat immanes minitantes bella Tyrannos,  
Quos penes arbitrij fræna petita uidet.  
Impulit & nostros ad crimina fœda parentes,  
Hos fecit turpis criminis esse reos.  
Assidue nobis & adhuc sua retia ponit,  
Nos studet insidijs illaqueare suis.  
Dura cupit nobis iniungere uincula legis,  
Noxia sub liquido melle uenena tegit.  
Has contra insidias nisi nos Deus alme tueris,  
In nostra effundet uiscera uirus edax.

C Temporæ

Tempore nocturno non carpit munera somni,  
Ut nos in Barathrum præcipitare queat.

Tu tamen interea rutili fabricator olympi.

Auxilio munis corpora nostra tuo.

Tu statuis nobis celeres & ubiq; Ministros,

Ne uoti compos fiat & ille sui.

Excubias agitant, somni gruitate remota,

Ne Draco nos prorsus dilaneare queat.

Christocolis adstant, nos hic & ubiq; tuentur,

Tutus ab insidijs quisquis ut esse queat.

Insuper Hæreticis mortem minitantu racerbam,

In pœnas Atheos saepe uocare solent.

Arrius ad pœnas, sic est, raptusq; Cerintus,

Qui Christi membris imposuere dolis.

Diſsidij causas, rixarum semina tollunt,

Inter Christigenas dogmati sancta ferunt,

Vera Dei curæ est illis Ecclesia semper,

Omnibus inuitis credula turba manet.

I

nter crudeles Heliseus permanet hostes,

Militibus quamvis undiq; cinctus erat.

Soluitur è uincis abrupto carcere Petrus,

Hunc non ulla tenent uincula, liber abit.

Angelicis etenim demandas Christe Ministris,

Vt nos in manibus nocte dieq; ferant.

Est

Est horum munus uestigia flectere nostra,  
Inferat igniuomus ne Draco damna pijs.  
Et quamuis uasta nos concludamur eremo,  
Vis tamen haud nobis ulla nocere potest.  
In Sylvis triduum Cygneus oberrat opacis,  
Nec puer interea noxia damna tulit.  
Hic est per spinas dumeta per aspera tractus,  
Duriter & lesit per saliceta pedes.  
Adde premebatur quod & huius frigore corpus,  
Sponte liquefcentes pertulit ille niues.  
Egit apud rapidis armatos unguibus ursos,  
Atq; uidebatur præda relicta feris.  
Horrida torribilis metuebat tela Leonis,  
Hic tamen interea vulnera nulla tulit.  
Angelicus etenim defenditur ille cateruis,  
Quamuis spes reliquæ nulla salutis erat.  
Quis te chare precor Simeon Grynee tegebat,  
Cum tibi tendebat retia sœua Faber.  
Ipsius in casses lapsus si forte fuisses,  
Membra uagis dederat dilanianda feris.  
Attamen Angelici te seruant ritè Ministri,  
Hoc, qui consilijs impediere suis.  
Ergo tibi supplex uenio mitissime Regum,  
Ipse tuum numen suplice uoce precor.

C 2 Vt

*Vt nos Angelicis defendas Christe Ministris,  
Oppressi procerum qui feritate sumus.  
Frange Tyrannorum uires, disperge potentes,  
Assiduè infigunt qui maledicta tibi.  
Quiq; student uerbum nebulis obducere Christi,  
Quod Deus è gremio protulit alme tuo.  
Te petimus nobis cœlestes adde Ministros,  
Qui nostras mentes tempus in omne regant,  
Sordida ne noceant procērum contagia nobis,  
Neuē pios Sathanas in sua iura trahat.  
Suscipe uota, tuis & nos defende sub alis,  
Semper & Angelicis nos tueāre choris.*

DE ANGELIS SAP.  
phicon Philippi Melanthonis.

Dicimus grates tibi summe rerum  
Conditor, Gnato tua quod ministros  
Flammeos finxit manus, Angelorum  
Agmina pura.

Qui tuæ lucis radijs uibrantes,  
Te uident lætis oculis, tuasq;  
Hauriunt uoces, sapientiaeq;

Fonte fruuntur.

Hos nec ignavum sinis esse uulgi,  
Nec per ingentes uolitare frustra  
Ætheris tractus, temeré nec inter

Ludere uentos,

Sed iubes Christo comites adesse,  
Et pios coetus hominum tueri,  
Qui tuas leges uenerantur, atq;

Discere curant.

C 3 Imo

*Impijs ardens odijs & ira  
Nam tuis castris Draco semper infert  
Bella, qui primus scelus atq; mortem  
Intulit orbi.*

*Hic domos, urbes, tua templa, gentes  
Et tuæ legis monumenta tota,  
Et bonos mores abolere tentat  
Funditus omnes.*

*Interim sed nos tegit Angelorum,  
Quæ ducem Christū sequitur, caterua,  
Atq; grassantes reprimit cruenta  
Arma draconis.*

*Angeli Lothon Sodomæ tuentur,  
Inter infestos Elisæus hostes,  
Angelis cinctus, nihil extimescit  
Bellica signa,  
Tutus*

*Tutus atq; inter medios leones  
Angelis septus Daniel Propheta,  
Sic tegit semper Deus his ministris*

*Omnia nostra.*

*Hoc tuum munus celebramus una  
Et tibi noster chorus, Angeliq;  
Gratias dicunt simul accinentes*

*Conditor alme.*

*Et tuo templo uigiles ut addas  
Angelos semper, populoq; Gnati  
Qui tui uerbum colit, obsecramus*

*Pectore toto.*

*A M E N.*

3  
H  
O  
13



*Yg 3469*

**ULB Halle**  
004 396 014

3



*5b.*

*m*





# Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



ORATIO  
MODERANDIS ANI-  
II AFFECTIBVS  
IPTA ET RECITATA ROSTO-  
CHII, A M. PETRO SICKIO  
RENSEVRGENSE.

*dditum est Carmen de AN-  
GELIS, eodem Authore.*

X OFFICINA LV-  
DOVICI DITHI.

Anno M. D. LVI.  
*osa ac præclaræ inde his  
centi Hymno Molgan  
eo suo plurimum co-  
endo. P. s. ddt.*

F 13

